

CONFESSIO BELGICA

VERE CHRISTIANA,

DIVINÆ DOCTRINÆ, ET SALUTIS ANIMARUM,

DOCTRINAM CONTINENS.

ARTICULUS I.

CORDE credimus, et ore confitemur, unicam esse et simplicem essentiam spiritualem, quam Deum vocamus, æternum, incomprehensibilem, inconspicuum, immutabilem, infinitum, qui totus est sapiens, fonsque omnium bonorum uberrimus. Eph. iv. 8. Deuter. vi. 4. 1 Tim. ii. 5. 2 Cor. viii. 6. Joan. iv. 24. Esai. xl. 28. et xlv. 6.

II. Duobus autem modis Deum cognoscimus: primo, per ipsam creationem, conservationem, atque universi hujus mundi gubernationem. Is enim oculis nostris est instar codicis pulcherrimi, in quo creaturæ omnes, a minimis usque ad maximas, veluti characteres et elementa quædam insculptæ sunt: per quæ invisibilia Dei conspici cognoscique a nobis possunt, nempe æterna ipsius potentia et divinitas, ut Paulus Apostolus loquitur Rom. i. 20. Quæ cognitio sufficit ad convincendos, et inexcusabiles reddendos quosvis homines. At multo clarius et manifestius deinceps se ipsum nobis ille in sacro suo et divino verbo patefacit: quantum quidem id ad gloriam ipsius, suorumque salutem, in hac vita expedit. Psalm. xix. Ephes. iv. 6. 2 Cor. iv. 6.

III. Confitemur hoc Dei verbum non fuisse ulla humana voluntate, aut allatum, aut traditum: sed sanctos Dei viros divino afflatos Spiritu illud eloquutos esse, ut testatur divus Petrus 2 Pet. i. 21.

Postea vero Deus ipse pro immensa illa cura et sollicitudine, quam de suis, suorumque salute gerit servis suis apostolis, et prophetis mandavit, ut sua illa oracula scriptis committerent: ipseque adeo duas tabulas legis digito suo exaravit: quæ causa est cur ejusmodi scripta sacram et divinam scripturam appellamus.

IV. Complectimur autem sacram scripturam duobus illis voluminibus Veteris et Novi Testamenti, qui libri canonici vocantur: de quibus nulla unquam fuit controversia. Eorumque hic est tum numerus, tum ordo in Dei Ecclesia receptus. Quinque libri Mosis, liber Josue, Judicum, Ruth, duo libri Samuelis, duo Regum, duo Chronicorum, quæ Paralipomenon dicuntur, primus Esdræ: Nehemias, Esther, Job: item Psalmi Davidis, tres libri Salomonis, nempe Proverbia, Ecclesiastes, et Canticum Cantorum: quatuor Prophetæ majores, Esaias, Jeremias, Ezechiel, et Daniel: ad hæc duodecim etiam minores Prophetæ. Novi porro Testamenti libri canonici sunt: quatuor Evangelistæ; divus scilicet Matthæus, Marcus, Lucas, et Johannes: Acta Apostolorum: quatuordecim Epistolæ divi Pauli, et septem reliquorum apostolorum: Apocalypsis divi Johannis Apostoli.

V. Hos libros solos recipimus tanquam sacros et canonicos: quibus fides nostra inniti, confirmari et stabiliri possit. Itaque absque ulla dubitatione ea omnia credimus, quæ in illis continentur. Idque non tam quod Ecclesia illos pro canonicis recipiat et comprobet: quam quod Spiritus Sanctus nostris conscientiis testetur illos a Deo emanasse: et eo maxime quod ipsi etiam per se sacram hanc suam autoritatem et sanctitatem testentur, atque comprobent: quum et ipsi cæci rerum omnium, quæ in illis scriptis prædictæ fuerunt, impletionem, et executionem clare conspiciere, et veluti sensibus percipere possint.

VI. Differentiam porro constituimus, inter libros

istos sacros, et eos quos Apocryphos vocant: utpote quod Apocryphi legi quidem in Ecclesia possint, et fas sit ex illis eatenus etiam sumere documenta, quatenus cum libris canonicis consonant: at nequaquam ea est ipsorum auctoritas, et firmitudo, ut ex illorum testimonio aliquod dogma de fide, et religione Christiana, certo constitui possit: tantum abest, ut aliorum auctoritatem infringere vel minuere valeant.

VII. Credimus autem sacram hanc scripturam perfectissime omnem Dei voluntatem complecti, et in illa abunde ea omnia doceri, quæcunque ab hominibus credi necesse est, ut salutem consequantur. Itaque cum illic exactissime, et fuse descripta sit omnis divini cultus ratio, quam Deus a fidelibus exigit: nulli hominum (quamvis apostolica dignitate prædito, ac ne ulli quidem angelo e cælo demisso, ut divus Paulus loquitur) fas est aliter docere, quam jampridem in sacris scripturis edocti sumus. Quum enim vetitum sit, ne quis Dei verbo quicquam aut addat, aut detrahat, satis eo ipso declaratur sacram hanc doctrinam omnibus suis numeris et partibus perfectam, ac absolutam esse. Ideoque cum hisce divinis scripturis, atque Dei nuda veritate, nulla alia hominum, quantavis sanctitate præditorum, scripta: nulla consuetudo, nec multitudo ulla: nec antiquitas: neque temporum præscriptio, neque personarum successio: neque concilia ulla, nulla denique hominum decreta, aut statuta conferenda, comparandave sunt: utpote quod Dei veritas rebus omnibus antecellat. Omnes enim homines natura sua sunt mendaces, et ipsa vanitate vaniores. Idcirco toto animo rejicimus quæcunque cum certissima hac regula non conveniunt, ut ab apostolis edocti fuimus, quum dicunt: *Probate spiritus, an ex Deo sint: et si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non adfert, ne recipite illum domum, &c.* 2 Tim. iii. 14-17. 1 Pet. i. 11. Prov. xxx. 5. Gal. iii. 15. Apoc. xxii. 18. Joan. xv. 15. Act. xx. 27.

1 Tim. i. 3. 2 Joan. i. 10. Gal. i. 8. 1 Cor. xv. 2. Act. xxvi. 22. Rom. xv. 4. 1 Petri iv. 11. Joan. iv. 25. Esa. i. 12. 1 Cor. ii. 4. Rom. iii. 4. 1 Cor. iii. 11. Deut. xii. 32. Matt. xv. 3. et xvii. 5. Marc. vii. 7. 1 Thess. ii. 2. 1 Joan. iv. 1.

VIII. Juxta hanc veritatem et Dei verbum in unicum solum Deum credimus, (qui est unica essentia incommunicabilibus proprietatibus in tres Personas re vera ab æterno distincta,) nempe in Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, 1 Joan. ii. 23. Esa. xliii. 11. Joan. i. 1—12. 1 Joan. i. 1. Apoc. xix. 13. Prov. viii. 22. Joan. i. 14. Nam Pater quidem, visibilium omnium et invisibilium causa, origo, ac initium existit: Filius est verbum, sapientia, et imago Patris: Spiritus Sanctus vero potentia est, et virtus quæ a Patre et Filio emanat. Ita tamen ut hæc distinctio non efficiat ut Deus sit veluti in tres partes divisus: quandoquidem scriptura nos docet et Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum distinctam habere suis proprietatibus hypostasim sive subsistentiam. Ita tamen ut tres hæ personæ sint tantum unus et solus Deus. Igitur certum est nec Patrem Filium, nec Filium Patrem esse, neque Spiritum Sanctum aut Patrem, aut Filium. Interim tamen personæ illæ sic distinctæ, neque sunt divisæ, neque confusæ, neque permixtæ: non enim Pater aut Spiritus Sanctus carnem humanam assumpserunt, sed solus Filius. Pater nunquam sine Filio suo fuit, nec sine Spiritu suo Sancto, quia singuli eademque essentia ejusdem sunt æternitatis. Nullus enim ex his aut primus aut ultimus est, quia omnes tres unum sunt, tum veritate ac potentia, tum bonitate et misericordia.

IX. Hæc vero omnia tam ex sacræ scripturæ testimoniis, quam ex ipsis effectis cognoscimus, iisque potissimum, quæ nos in nobismetipsis sentimus. Et sacræ quidem scripturæ testimonia, quæ nos docent sacram hanc Trinitatem credere, passim in Veteri Testamento occurrunt: quæ non tam nume-

randa, quam certo iudicio seligenda sunt: qualia hæc sunt, Geneseos i. dicit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Marem, inquam, et foeminam creavit eos.* Item, *Ecce Adam tanquam unus nostrum factus est,* Gen. iii. Ex eo enim quod dicitur, *Faciamus hominem ad similitudinem nostram,* apparet plures esse Personas in Deitate. Quum autem dicitur, *Deus creavit,* &c. indicatur unitas Divinitatis. Etsi autem hic non exprimitur quot sint Personæ, tamen quod in Veteri Testamento obscure traditum est, id in Novo nobis luce clarius exponitur. Quum enim Dominus noster Jesus Christus in Jordane baptizaretur, Matt. iii. 16. Patris vox audita est dicentis, *Hic est Filius meus dilectus:* Et Filius ipse in aquis est visus: Spiritus vero Sanctus sub specie columbæ apparuit. Ideo et in communi omnium fidelium baptismo hac formula uti præcipimur, *Baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* Matt. xxviii. 19. Sic etiam apud Lucam, Luc. i. 35. Gabriel angelus Mariam, Domini nostri matrem, alloquitur: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi inumbrabit te, propterea id quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Item, *Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei, et communicatio Spiritus Sancti, sit vobiscum,* 2 Cor. xiii. 14. Item, *Tres sunt qui testificantur in cælo, Pater, Sermo, et Spiritus Sanctus, qui tres unum sunt,* 1 Joan. v. 7. Quibus omnibus locis amplissime docemur, in unico Deo tres esse Personas. Etsi autem hæc doctrina omnem humani ingenii captum superet: illam tamen nunc ex Dei verbo firmiter credimus, expectantes donec in cælo plena illius cognitione fruamur. Notanda sunt etiam harum trium Personarum officia, et effecta, quæ erga nos singuli exerunt. Pater enim Creator noster ob virtutem ipsius; Filius vero Salvator ac Redemptor noster vocatur, quod sanguine suo nos redemerit; Spiritus Sanctus Sanctificator noster, quod in cor-

dibus nostris habitet, Mal. ii. 10. 1 Pet. i. 2. 1 Joan. iv. 14. Gal. iv. 6. Tit. iii. 5. Rom. viii. 9. Rom. xiv. 15. Atque sanctam hanc sacræ Trinitatis doctrinam jam inde ab apostolorum ætate ad hæc usque tempora semper vera Ecclesia retinuit, et adversus Judæos, Mahumetanos, aliosque pseudochristianos, et hæreticos defendit, quales fuerunt Marcion, Manes, Praxeas, Sabellius, Samosatenus, et similes: qui omnes merito ab orthodoxis patribus damnati sunt. Itaque lubenter tria illa symbola hic recipimus, nempe Apostolorum, Nicenum, et Athanasii, et quæcunque de hoc dogmate juxta illorum symbolorum sententiam statuerunt.

X. Credimus Jesum Christum respectu naturæ ipsius divinæ unicum esse Dei Filium ab æterno genitum, non factum aut creatum, Joan. i. 18. 49. (esset enim creatura) sed ejusdem cum Patre essentialis, illique coæternum: quique est vera imago substantiæ Patris, et splendor gloriæ ipsius in omnibus illi æqualis, Col. i. 15. Joan. x. 30. Phil. ii. 6. Hebr. i. 3. Joan. viii. 23. et ix. 36. Actor. viii. 37. Rom. ix. 5. Est autem is Filius Dei, non tantum ab eo tempore quo naturam nostram humanam induit, sed ab æterno, ut hæc testimonia invicem collata nos docent. Moses ait Gen. i. Deum creasse mundum: at divus Johannes per Sermonem, quem Deum vocat, omnia facta fuisse dicit. Sic Apostolus ad Hebræos asserit Deum per Filium Jesum Christum omnia creasse, Coloss. i. 16. Sequitur itaque eum qui et Deus, et Sermo, et Filius, et Jesus Christus dicitur, jam tum extitisse, quum ab ipso omnia condita fuerunt. Idcirco Micheas v. 2. propheta inquit, *Exitus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Item, *Est absque initio dierum, et absque fine vitæ*. Est igitur ille verus Deus, æternus, omnipotens, quem invocamus, adoramus, et colimus.

XI. Credimus etiam et confitemur Spiritum Sanctum a Patre et Filio ab æterno procedere. Itaque nec factum, nec creatum, nec genitum fuisse,

sed ab utroque tantum procedentem, qui ordine tertia est Trinitatis Persona, ejusdem essentialitatis, gloriæ, et majestatis cum Patre et Filio. Ideoque et ipse verus et æternus Deus est, ut nos sacræ scripturæ docent. Heb. vii. 3. Joan. xiv. 6. et xv. 26.

XII. Credimus Patrem per verbum suum, hoc est per Filium, cœlum, terram, et reliquas creaturas omnes ex nihilo creasse, quum illi visum est opportunum, singulisque suum esse, formam, et varia officia tribuisse, ut Creatori suo inservirent. Eumque nunc illas omnes etiam fovere, sustentare, et regere, pro æterna sua providentia, et immensa virtute. Idque ut illæ quidem homini, homo vero Deo suo inserviat. Creavit etiam angelos, omnes natura bonos, ut ministri ipsius essent, et electis etiam inservirent: quorum tamen alii ab excellenti illa natura, in qua eos Deus crearat, in perditionem æternam deciderunt: alii vero singulari Dei gratia in primo illo suo statu perstiterunt: diaboli quidem et cacodæmones illi, ita corrupti et depravati sunt, ut et Dei et omnis boni conjurati sint hostes: qui Ecclesiæ et singulis illius membris tanquam prædones e specula insidiantur, ut imposturis suis ac deceptionibus omnia destruant et pessundent. Idcirco propria sua malitia perpetuæ condemnationi addicti, exspectant in dies horrenda suorum facinorum supplicia. Respuimus itaque hoc loco Sadducæorum errorem qui spiritus ullos aut angelos esse negarunt. Item et Manichæorum errorem qui asserunt diabolos ex se ipsis originem ducere, et ex propria sua natura malos esse, non autem corruptos per inobedientiam voluntariam. Joan. xv. 26. Gen. i. 1. Isai. xl. 26. Heb. iii. 4. Apoc. iv. 11. 1 Tim. iv. 3. 1 Col. i. 16. Heb. iii. 14. et i. 3. Psal. ciii. 21. et iv. 3, 8. Joan. viii. 44. 2 Pet. ii. 4. Luc. viii. 31. 1 Pet. v. 8. Matt. xxv. 40. Act. xxiii. 8.

XIII. Credimus Deum hunc Opt. Max. postquam res omnes creasset, minime eas sortis aut fortunæ arbitrio regendas commisisse, sed ipsismet illas ex

præscripto sacrosanctæ suæ voluntatis ita assidue regere et gubernare, ut nihil in hoc mundo absque illius decreto et ordinatione contingat: quanquam Deus malorum quæ in hoc mundo accidunt, neque auctor, neque reus dici possit. Tam late enim patet infinita et incomprehensibilis illius, tum potentia, tum bonitas, ut tunc etiam opera, et actiones suas sancte et juste decernat et exequatur, quum et Diabolus et impii injuste agunt. Quæcunque vero ille agit humanum captum excedentia, de iis nolumus curiose et supra nostrum captum inquirere, quinimo secreta, justa tamen Dei judicia humiliter et reverenter adoramus. Sufficit enim nobis (ut Christi discipulis) ea duntaxat discere quæ ipse verbo suo nos docet, neque hos fines transilire fas esse ducimus. Hæc vero doctrina immensam nobis adfert consolationem. Ex illa enim cognoscimus nihil nobis fortuito contingere, sed omnia Patris nostri cœlestis voluntate, qui pro nobis vere paterna cura excubat, omnia sibi subdita habens, ita ut ne pilus quidem capitis nostri (qui omnes ad unum numerati sunt) evelli, nec minimus passerculus humi cadere, sine Patris nostri voluntate, possit. Istitaque penitus acquiescimus, agnoscentes Deum diabolos et inimicos nostros omnes veluti habenis ita frænatos continere, ut sine ipsius voluntate et bona venia, nemini nostrum nocere valeant. Et hoc loco detestandam Epicureorum opinionem rejicimus, qui Deum otiosum, et nihil agentem, omniaque sorti committentem, finxerunt. Act. xxiii. 8. Joan. v. 17. Heb. i. 3. Prover. xvi. 4. Jacob. iv. 15. Job. i. 21. 2 Reg. xii. 20. Act. iv. 28. 1 Sam. viii. 25. Psal. cxv. 3. Isa. xlv. 7. Amos iii. 6. Deut. xix. 5. Prover. xxi. 1. Psal. cv. 25. Isa. x. 5. 2 Thess. ii. 11. Ezech. xli. 9. Rom. i. 26. 1 Reg. xi. 23. Gen. xlv. 8. et l. 20. 2 Sam. xvi. 10. Matt. viii. 31. 1 Joan. iii. 8.

XIV. Credimus Deum ex limo terræ hominem ad imaginem suam, bonum scilicet, justum ac sanctum creasse, qui proprio arbitrio suam voluntatem

ad Dei voluntatem componere et conformem reddere posset. Verum quum in honore esset nescivit, et excellentiam suam non cognovit; sed seipsum sciens et volens peccato, et per consequens morti ac maledictioni subjecit: dum Diaboli verbis et imposturis aurem præbens mandatum vitæ transgressus est, quod a Domino acceperat; seque a Deo (vera ipsius vita) penitus subduxit, atque abalienavit, vitiata omnino, atque corrupta per peccatum ipsius natura: quo factum est, ut morti tum corporeæ, tum spirituali sese obnoxium reddiderit. Itaque improbus atque perversus effectus, in viisque suis omnibus et studiis corruptus præclara illa dona omnia amisit, quibus illum ornaverat: adeo ut non nisi exiguæ illorum scintillæ et vestigia exilia illi relicta sunt, quæ tamen sufficiant ad inexcusabiles reddendos homines, quia quicquid in nobis est lucis, in cæcas tenebras fit conversum, ut et scriptura ipsa docet dicens, *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Ibi enim Joannes manifeste homines tenebras vocat. Idcirco quæcunque de libero hominis arbitrio traduntur, ea nos merito rejicimus, quum is sit servus peccati: nihilque ex se possit homo, nisi datum sit illi de cælo. Quis enim jactare audeat se quæcunque voluerit præstare posse, quum Christus ipse dicat: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui me misit, traxerit eum?* Quis voluntatem suam ostendet, qui audiat omnes carnis affectus inimicitias esse adversus Deum? quis de intelligentia sua gloriabitur, qui sciat animale hominem non esse capacem eorum quæ sunt spiritus Dei? in summa quis vel ullam suam cogitationem in medium proferat, qui intelligat nos non esse idoneos ex nobisipsis ad cogitandum quicquam, sed quod idonei sumus, id omne ex Deo esse? Certum ergo et firmum manere oportet quod apostolus dixit, *Deum esse, qui efficit in nobis et ut velimus et ut efficiamus, pro gratuita sua benevolentia.* Nulla enim mens, nulla voluntas Dei voluntati acquiescit,

in qua Christus ipse non sit prius operatus: quod et ipse nos docet, dicens, *Sine me nihil potestis facere*, Matt. xx. 29. et 30. Gen. i. 26. Eccles. vii. 30. Eph. iv. 24. Psal. xlix. Isa. lix. 2. Gen. viii. 17. Rom. v. 12. Rom. iii. 10. Actor. iv. 16. 1 Reg. i. 20. et 21. Act. xvii. 27. Eph. v. 8. Joan. i. 5. Isa. xxvi. 12. Psal. xciv. 11. Joan. iii. 27. Joan. vi. 44. Rom. viii. 7. 1 Cor. ii. 14. 2 Cor. iii. 5. Philipp. ii. 13. Joan. xv. 5.

XV. Credimus Adami inobedientia peccatum, quod vocant originis, in totum genus humanum sparsum, et effusum fuisse. Est autem peccatum originis corruptio totius naturæ, et vitium hæreditarium, quo et ipsi infantes in matris utero polluti sunt: quodque velut noxia quædam radix, genus omne peccatorum in homine progerminat, estque tam turpe et execrabile coram Deo, ut ad universi generis humani condemnationem sufficiat. Neque vero per baptismum illud penitus extingui, aut radicatus evelli credendum est, quandoquidem ex illo, tanquam ex corrupta scaturigine, perpetui fluctus, atque rivuli assidue exoriuntur, et effluunt: quamvis filiis Dei in condemnationem non cedat aut imputetur, sed ex pura Dei gratia et misericordia illis remittatur: non ut huic remissioni confidentes obdormiant, sed ut sensu hujus corruptionis, crebriores gemitus in fidelibus excitet, utque eo ardentius optent se ab hoc corpore mortis liberari. Hinc ergo Pelagianorum errorem damnamus, qui hoc peccatum originis nihil aliud esse asserunt, quam imitationem. Phil. ii. 13. Joan. xv. 5. Psal. li. 7. Rom. iii. 10. Gen. vi. 3. Joan. iii. 6. Rom. v. 14. Eph. i. 5. Rom. vii. 18. 24.

XVI. Credimus Deum (posteaquam tota Adami soboles sic in perditionem et exitium, primi hominis culpa, præcipitata fuit) seipsum talem demonstrasse, ac præstitisse qualis est revera, nimirum, et misericordem et justum: misericordem quidem, eos damnatione et interitu liberando et servando, quos in

æterno suo consilio pro gratuita sua bonitate per **Jesum Christum Dominum nostrum** elegit, absque ullo operum ipsorum respectu. Justum vero, alios in illo suo lapsu, et perditione relinquendo, in quem sese ipsi præcipites dederunt.

XVII. Credimus etiam Deum nostrum **Opt. Max.** (quum cerneret hominem, sese ita in mortis et corporeæ et spiritualis damnationem conjecisse, et prorsus miserum atque maledictum effectum esse) mirabili sua tum sapientia, tum bonitate, adductum, ut illum abs se præ timore fugientem, et quæreret et benigne consolaretur; promisso illi **Filio suo** ex muliere nascituro, qui serpentis caput contereret, et illum felicem atque beatum redderet.

XVIII. Confitemur vero Deum tum demum promissionem (patribus per os sanctorum prophetarum factam) implevisse, quum constituto abs se tempore **Filium illum suum unicum**, et æternum in hunc mundum misit: qui formam servi accepit, similis hominibus factus, et veram naturam humanam cum omnibus ipsius infirmitatibus (excepto peccato) vere assumpsit, dum conceptus est in utero beatæ **Virginis Mariæ**, virtute **Spiritus Sancti** absque ulla hominis opera. Eam porro naturam humanam non quoad corpus tantum induit, sed etiam quoad animam: fuit enim vera anima humana præditus, ut verus esset homo. Etenim quum anima non minus quam ipsum corpus damnationi esset obnoxia, necesse fuit illum et hoc et illam assumere, ut utrumque simul servaret. Idcirco contra **Anabaptistarum hæresim**, (qui negant Christum carnem humanam assumpsisse,) confitemur Christum participem carnis et sanguinis fuisse, sicut et pueri fratres ipsius, ex lumbis **Davidis** secundum carnem: factum, inquam, ex semine **David**, secundum eandem carnem: fructumque ex utero **Virginis Mariæ**, natum ex muliere: germen **Davidis**: florem de radice **Jesse**: e tribu **Juda**, atque a **Judæis** ipsis ortum secundum carnem, et in summa verum semen **Abrahæ**

et Davidi, quod scilicet semen Abrahæ assumpserit, excepto peccato, ut dictum est, fratribus suis similis per omnia factus, adeo ut sit revera noster Emanuel, id est, Deus nobiscum.

XIX. Credimus etiam per hanc conceptionem, personam Filii conjunctam, atque unitam fuisse inseparabiliter cum humana natura, ita ut non sint duo Filii Dei, nec duæ Personæ, sed duæ naturæ in unica Persona conjunctæ, quarum utraque proprietates suas retineat, adeo ut sicut natura divina semper increata, et absque initio dierum, sine vitæ fine remansit, cœlumque et terram implens: sic natura humana proprietates suas non amiserit, sed creatura remanserit, initium dierum, et naturam finitam, habens. Omnia enim illa, quæ vero corpori conveniunt, retinuit, et quamvis illi immortalitatem resurrectione sua dederit, veritatem tamen humanæ naturæ illi neque ademit, neque commutavit. Salus enim et resurrectio nostra a veritate corporis ipsius dependet. Cæterum, duæ istæ naturæ ita sunt simul unitæ et conjunctæ in unam Personam, ut ne morte quidem ipsius separari potuerint. Quod igitur Patri suo moriendo commendavit, id vere erat spiritus humanus, a corpore ipsius egrediens: at interim divina natura semper humanæ (etiam in sepulchro jacenti) conjuncta remansit: adeo ut Deitas ipsa non minus in ipso tunc fuerit, quam cum adhuc infans esset, etsi exiguum ad tempus non sese exerceret. Quapropter confitemur ipsum verum Deum, et verum hominem esse: verum quidem Deum, ut mortem sua potentia vinceret: et verum hominem, ut in carnis suæ infirmitate pro nobis mortem obiret.

XX. Credimus Deum (qui summe et perfectissime est, tum misericors, tum justus) Filium suum misisse, ut naturam illam assumeret quæ per inobedientiam peccarat, ut in ea ipsa natura et satisfaceret, et de peccato, per acerbam ipsius mortem et passionem, justas pœnas sumeret. Deus igitur jus-

titiam suam in proprio Filio nostris peccatis onusto, ostendit, et exeruit: bonitatem vero et misericordiam suam in nos nocentes et condemnatione dignos, benigne effudit et exeruit, dum Filium suum morti propter offensas nostras pro immenso suo erga nos amore tradidit, et eum rursus propter justificationem nostram e mortuis excitavit, ut immortalitatem et vitam æternam per illum consequeremur.

XXI. Credimus Jesum Christum summum illum Sacerdotem esse, in æternum cum jurejurando constitutum, secundum ordinem Melchisedech: qui sese nostro nomine, coram Patre ad placandum ipsius iram cum plena satisfactione obtulit, sistens se ipsum super altare crucis: et sanguinem suum ad purgationem peccatorum nostrorum profudit, sicuti id prophetæ futurum prædixerant. Scriptum enim est, *Castigationem pacis nostræ super Filium Dei positam, et livore ejus nos sanatos esse.* Item ipsum tanquam ovem ad mactationem ductum, atque inter peccatores et iniquos deputatum, condemnatumque a Pontio Pilato tanquam maleficum, etsi illum prius innocentem pronuntiasset. Quæ igitur non rapuerat persolvit, et justus pro injustis tum in corpore, tum in anima sua passus est: ita ut horrorem peccatis nostris debitum sentiens, aquam et sanguinem sudaverit: et tandem etiam exclamarit, *Deus meus, Deus meus, cur me deseruisti?* Ea vero omnia pro remissione peccatorum nostrorum pertulit. Quamobrem merito cum divo Paulo dicimus, nos *nihil quicquam scire, nisi Jesum Christum eumque crucifixum:* quinetiam omnia pro stercorebus ducimus propter excellentiam cognitionis Jesu Christi Domini nostri, ut qui in ejus vulneribus omnis generis consolationem comperiamus. Itaque nihil est necesse ut alias ullas rationes vel optemus, vel ipsi excogitemus, quibus Deo reconciliari possimus, præter hanc solam et semel peractam oblationem: qua consecrati sunt et perfecti in perpetuum fideles omnes qui sanctificantur. Atque hæc causa est cur

ipse ab angelo Jesus vocatus sit, id est Servator, quod servaturus esset populum suum a peccatis ipsius.

XXII. Credimus Spiritum Sanctum in cordibus nostris habitantem veram nobis fidem impartiri, ut hujus tanti mysterii veram cognitionem adipiscamur. Quæ fides Jesum Christum, cum omnibus suis meritis amplectitur, illumque sibi ceu proprium effectum vindicat, nihilque deinceps extra illum quærit. Necesse est enim, aut omnia quæ ad salutem nostram requiruntur in Christo non esse; aut si sint in eo omnia, eum, qui fide Jesum Christum possidet, simul etiam perfectam habere salutem. Itaque horrenda est omnino in Deum blasphemia, asserere Christum minime sufficere, sed aliis quoque rebus opus esse. Inde enim sequeretur, Christum ex parte tantum Servatorem esse. Merito igitur jureque dicimus cum D. Paulo, *Nos sola fide justificari, seu fide absque operibus legis*. Cæterum, proprie loquendo, nequaquam intelligimus ipsam fidem per se, seu ex se, nos justificare, ut quæ sit duntaxat veluti instrumentum, quo Christum justitiam nostram apprehendimus. Christus igitur ipse est nostra justitia, qui omnia sua nobis merita imputat, fides vero est instrumentum, quo illi in societatem seu communionem omnium bonorum ipsius copulamur, atque in ea retinemur: adeo ut illa omnia nostra effecta, plus quam satis nobis sint ad nostri absolutionem a peccatis.

XXIII. Credimus omnem felicitatem nostram sitam esse in peccatorum nostrorum remissione, quæ est in Christo Jesu: eaque unica totam nostram justitiam coram Deo contineri: ut nos divus Paulus ex Davide docet, beatitudinem eorum prædicante, quibus Deus justitiam absque operibus imputat. Sed et idem Apostolus ait, *Nos gratis justificari per redemptionem factam in Christo Jesu*. Hoc igitur ceu firmo fundamento innitentes, omnem gloriam Deo tribuimus, de nobis ipsis perquam humiliter

sentientes, ut qui probe noverimus qui, qualesque simus revera. Ideoque de nobis, ullisque nostris meritis nihil quicquam præsumimus, sed sola Jesu Christi crucifixi obedientia suffulti, in ea prorsus acquiescimus: utque illa nostra fiat, in eum credimus. Hæc porro una abunde sufficit, tum ad omnes iniquitates nostras obtegendas, tum etiam ad nos tutos securosque reddendos adversus omnes tentationes. Illa etenim procul a conscientia abigit omnem metum, omnem horrorem, omnem denique formidinem, quo propius ad Deum accedamus, nec primi illius nostri parentis exemplum imitemur, qui præ metu fugiens ficulneis sese foliis obtegere et occultare conatus est. Et sane si nobis ipsis, aut ulli alteri creaturæ vel tantillum nitentes coram Deo nos sistere oporteret; certum est nos statim absorptum iri. Idcirco cum Davide nobis singulis potius est exclamandum, *Domine, ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo ullus vivens.*

XXIV. Credimus veram hanc fidem per auditum verbi Dei, et Spiritus Sancti operationem unicuique nostrum inditam nos regenerare, atque veluti novos homines efficere, ut quos ad novam vitam vivendam excitet, et a peccati servitute liberos reddat. Tantum abest igitur ut fides hæc justificans homines a recta sanctaque vivendi ratione avocet, aut tepidiores efficiat, ut contra absque illa nemo unquam quicquam boni propter Deum (sed omnia vel propter seipsum, vel ob metum justæ condemnationis) agere atque operari possit. Fieri itaque non potest ut hæc fides sancta in homine otiosa sit. Neque enim loquimur de fide vana, atque mortua, sed de ea tantum quæ in scriptura dicitur per charitatem operari: quæque impellit hominem ut in illis sese operibus exerceat, quæ Deus ipse in verbo suo præcepit. Hæc vero opera a sincera fidei hujus radice emanantia, ideo demum bona et Deo grata sunt, quia per illius gratiam sanctificantur: ad nos autem

justificandos nullius sunt prorsus momenti. Fide enim in Christo justificamur, et quidem priusquam bona ulla opera ediderimus. Neque enim magis ante fidem opera nostra bona esse possunt, quam fructus arboris boni, priusquam arbor bona ipsa fuerit. Facimus igitur bona quidem opera, sed non ut aliquid iis promereamur. Quid enim promereri possemus? Quinimo Deo magis magisque ad bona opera (si quæ facimus) sumus obstricti, non Deus nobis. Deus enim is est qui efficit in nobis, et ut velimus, et ut faciamus, pro gratuita sua benevolentia. Unde ad illud nobis semper est respiciendum, quod scriptum est, *Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus: nam quod debuimus facere, hoc fecimus.* Porro non ideo negamus Deum bona opera in suis remunerari, verum id mera sua gratia fieri dicimus, ut qui dona sua in nobis coronet. Cæterum quamvis bona opera faciamus, nequaquam tamen ullam salutis nostræ spem in illis ponimus. Nulla enim opera edere possumus quæ non sint carnis nostræ vitio polluta, ac proinde supplicio pœnisque digna. Quod si etiam aliquod ejusmodi opus proferre quiremus, sola tamen peccati recordatio sufficeret ad illud e conspectu Dei removendum. Itaque semper in dubio atque hinc inde fluctuantes essemus, et miseræ nostræ conscientiæ semper vexarentur, nisi unico merito mortis, et passionis Servatoris nostri niterentur, et in illo acquiescerent.

XXV. Credimus omnes ceremonias et figuras legis, omnes denique umbras cessasse Christi adventu: adeo ut earum quoque usus inter Christianos jam tolli abolerique debeat. Interim tamen manet nobis illarum veritas et substantia in Christo, in quo omnes impletæ fuerunt. Ideoque legis et prophetarum testimoniis adhuc utimur, et nos ipsos in Evangelii doctrina confirmemus: et omnem vitam nostram honeste ad Dei gloriam juxta ipsius voluntatem componamus.

XXVI. Credimus etiam nos nullum accessum habere ad Deum, nisi per unicum illum mediatorem et advocatum Jesum Christum justum, qui ideo factus est homo (humanæ naturæ divinam uniens) ut nobis miseris hominibus aditus ad Dei majestatem pateret: qui nobis alias in perpetuum fuisset oclusus. Hujus tamen Mediatoris (quem Pater inter se et nos constituit) majestas et potentia minime nos eousque terrere debet, ut ideo nobis alium pro arbitrio quærendum putemus. Nullus est enim, neque inter cœlestes, neque inter terrenas creaturas, qui nos majori dilectione amplectatur, quam Christus ipse: qui quum esset in forma Dei seipsum exinanivit, forma servi hominis accepta; et propter nos per omnia similis factus est fratribus suis. Quod si nobis alius mediator quærendus esset, qui aliqua nos benevolentia dignaretur, quem quæso invenire possimus, qui nos ardentius diligat, quam cum ipsum, qui pro nobis quum adhuc inimici ejus essemus, vitam propriam volens exposuit? si porro alius nobis quærendus est, qui summa tum auctoritate, tum potentia excellat: quis tantam unquam adeptus est, quam ille ipse qui ad Dei Patris dextram sedet, cuique omnis potestas data est in cœlo et in terra. Quis denique potius exaudiendus fuerit a Deo, quam unigenitus ille, et unice dilectus Dei Filius? Sola igitur diffidentia morem hunc induxit, quo sanctos (quos colere putamus) dedecore potius afficimus, dum ea patramus, quæ tantum abest ut illi unquam viventes fecerint, ut potius ea constanter, et pro officio suo, rejecerint, sicuti scripta eorum testantur. Neque hic nostra indignitas proferenda est ad tantæ impietatis excusationem. Minime enim nostra fulti dignitate preces offerimus, sed sola Domini nostri Jesu Christi dignitate et excellentia, cujus justitia nostra est per fidem, unde merito apostolus ut a nobis inane hunc timorem (seu potius diffidentiam) excutiat, Christum ait per omnia similem factum fuisse fratribus suis, ut misericors esset et fidelis Pontifex

in iis quæ apud Deum agenda forent ad expianda peccata populi. Nam ex eo quod perpeſſus fuit, quum tentatus eſt, poteſt et iis qui tentantur ſuccurrere. Præterea ut animos nobis addat, quo confidentius ad hunc Pontificem accedamus, addit idem Apoſtolus, *Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jeſum Filium Dei, teneamus hanc profeſſionem. Non enim habemus pontificem qui non poſſit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed tentatum in omnibus ſimiliter abſque peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut conſequamur miſericordiam, et gratiam inveniamus, ad opportunum auxilium.* Idem Apoſtolus ait, *Nos habere libertatem ingrediendi ſacrarium per ſanguinem Jeſu.* Accedamus igitur cum certa perſuaſione fidei, &c. Item, Chriſtus perpetuum habet ſacerdotium: unde et ſervare poteſt eos, qui per ipſum accedunt ad Deum, ſemper vivens, ut interpellet pro eis. Quid pluribus opus eſt? quum Chriſtus ipſe dicat, *Ego ſum via, veritas, et vita. Nemo venit ad Patrem, niſi per me*: cur alium nobis advocatum quæremus? Quinimo quum Deo ipſi placuerit proprium nobis Filium advocatum dare, non eſt quod eo derelicto alium quæramus, ne forte ſemper quærendo nunquam quemquam alium inveniamus. Sciebat enim haud dubie Deus, quum illum nobis daret, nos eſſe miſeros peccatores. Quo fit, ut juxta mandatum ipſius Chriſti, Patrem cœleſtem per eum ipſum Jeſum Chriſtum unicum Mediatorem noſtrum duntaxat invocemus, quemadmodum etiam in oratione Dominica ipſemet nos docuit. Sumus enim certi nos ea omnia conſequuturos, quæ a Patre in nomine ipſius petierimus.

XXVII. Credimus et confitemur unicam Eccleſiam catholicam ſeu univerſalem. Quæ eſt vera congregatio ſeu cœtus omnium fidelium Chriſtiano- rum, qui totam ſuam ſalutem ab uno Jeſu Chriſto expectant, quatenus videlicet ipſius ſanguine ſunt abluti, et per Spiritum ejus ſanctificati atque obſig-

nati. Hæc porro Ecclesia ut ab initio mundi fuit, ita et usque ad ejus finem est perduratura. Id vel ex eo apparet, quod Christus Rex æternus est, qui nunquam sine subditis esse potest. Cæterum hanc Ecclesiam Deus contra omnem mundi furorem et impetum tuetur: quamvis ad aliquod tempus parva admodum et quasi extincta in conspectu hominum appareat: quemadmodum tempore illo periculosissimo Achabi Deus sibi septem millia virorum reser-vasse dicitur, qui non flexerant genu coram Baal. Denique hæc Ecclesia sancta nullo est aut certo loco sita et circumscripta, aut ullis certis ac singularibus personis astricta aut alligata. Sed per omnem orbem terrarum sparsa atque diffusa, quamvis animo ac voluntate in uno eodemque spiritu, virtute fidei, tota sit simul conjuncta atque unita.

XXVIII. Credimus quod quum sacer hic cœtus et congregatio sit eorum qui servari debent; et salus nulla sit extra eam; neminem (cujuscunque dignitatis aut nominis is fuerit) sese ab ea subducere aut segregare debere, ut sua tantum consuetudine contentus solus, ac separatim vivat. Sed contra omnes ac singulos teneri huic cœtui se adjungere, et Ecclesiæ unitatem sollicite conservare, seseque illius tum doctrinæ tum disciplinæ subicere, collum denique Christi jugo sponte submittere, et tanquam cômunia ejusdem corporis membra ædificationi fratrum inservire, prout Deus unicuique sua dona fuerit largitus. Porro ut hæc melius observentur, omnium fidelium partes sunt, sese juxta Dei verbum ab eis omnibus disjungere, qui sunt extra Ecclesiam constituti: huicque fidelium cœtui ac congregationi sese adjungere, ubicunque illam Deus constituerit: etsi id contraria principum vel magistratuum edicta prohibeant, indicta etiam in eos capitis et mortis corporeæ pœna, qui id fecerint. Quicunque igitur a vera illa Ecclesia recedunt, aut sese illi aggregare recusant, aperte Dei mandato repugnant.

XXIX. Credimus summa tum diligentia, tum prudentia, ex Dei verbo esse inquirendum ac discernendum quænam sit illa vera Ecclesia: quandoquidem omnes sanctæ, quotquot hodie in mundo vigent, Ecclesiæ titulum nomenque usurpant, atque prætexunt. Nequaquam vero de hypocritarum cœtu nunc loquimur, quæi bonis in Ecclesia sunt permisti, licet ad Ecclesiam proprie non pertineant, in qua corpore sunt præsentis: sed de distinguendo duntaxat veræ Ecclesiæ corpore ac congregatione ab aliis omnibus sectis, quæ se Ecclesiæ membra esse falso gloriantur. His igitur notis vera Ecclesia a falsa discernetur. Si in illa pura Evangelii prædicatione, legitimaque sacramentorum ex Christi præscripto administratio vigeat: si item recta disciplina ecclesiastica utatur ad coercenda vitia: si denique (ut uno verbo cuncta complectamur) ad normam verbi Dei omnia exigat, et quæcunque huic adversantur repudiet: Christumque unicum caput agnoscat. His, inquam, notis certum est veram Ecclesiam dignosci posse: a qua fas non sit quenquam disjungi. Quæ autem sint veræ hujus Ecclesiæ vera membra, ex communibus Christianorum omnium notis poterit judicari: qualis est fides, qua, semel Christo ceu unico suo Salvatore apprehenso, fugiunt peccatum, et sequuntur justitiam: verum item Deum ac proximos suos diligunt, neque ad dextram, neque ad sinistram deflectentes: carnem suam, cum ipsius effectis, crucifigunt, minime id quidem quasi nulla amplius in illis sit infirmitas: sed quod adversus illam per omne vitæ tempus virtute Spiritus pugnent, et subinde ad sanguinem, mortem, passionemque et obedientiam Christi Domini nostri, tanquam ad tutissimum præsidium, refugiant: ut in quo solo sciant se habere redemptionem peccatorum, per fidem in illum. Falsa vero ecclesia contra sibi ipsi suisque institutis et traditionibus plus semper quam Dei verbo tribuit: Christi vero jugo subjici se non patitur: nec sacramenta ex Christi præscripto

administrat: sed illis pro arbitrio modo addit aliquid, modo detrahit. Præterea hominibus illa semper, plus quam Christo, nititur: et eos qui sancte, ex præscripto verbi Dei, vitam suam componere student; quive vitia illius, veluti avaritiam et idolomanias, taxant ac reprehendunt, hostiliter persequitur. Ex his igitur facile est utramque Ecclesiam ab invicem discernere, et agnoscere.

XXX. Credimus veram hanc Ecclesiam debere regi, ac gubernari spirituali illa politia, quam nos Deus ipse verbo suo edocuit: ita ut sint in ea pastores ac ministri, qui pure et concionentur, et sacramenta administrent. Sint quoque seniores, et diaconi, qui Ecclesiæ senatum constituent, ut his veluti mediis vera religio conservari, veraque doctrina passim retineri et propagari possit: hominesque vitiiis dediti spiritualiter corripiti, et emendari, ac veluti fræno quodam disciplinæ cohiberi: pauperes item, et afflicti, auxilio, et consolatione pro cujusque necessitate sublevari. Tunc enim rite omnia, et ordine fient in Ecclesia, quum viri fideles ac pii, ad ejus gubernationem deligentur, juxta divi Pauli præscriptum, quod habetur prima ad Timotheum iii. et Tit. i.

XXXI. Credimus ministros, seniores, et diaconos debere ad functiones illas suas vocari, et promoveri legitima Ecclesiæ electione, adhibita ad eam seria Dei invocatione, atque eo ordine et modo qui nobis Dei verbo præscribitur. Debent autem imprimis singuli cavere, ne illicitis mediis sese ad hæc munia ingerant. Expectandum est enim omnibus, donec a Deo ipso vocentur, ut certum habeant vocationis suæ testimonium, sciantque eam esse a Domino. Cæterum ubi sint locorum verbi Dei ministri, eandem illi atque æqualem omnes habent tum potestatem, tum auctoritatem, ut qui sint æque omnes Christi unici illius episcopi universalis et capituli Ecclesiæ ministri. Porro ne sancta hæc Dei ordinatio, aut violetur, aut abeat in contemptum, debent om-

nes de verbi ministris et senioribus Ecclesiæ, honorifice propter opus cui incumbunt sentire, atque cum illis pacem colere; et a rixis ac contentionibus, quantum fieri potest, invicem abstinere.

XXXII. Interim credimus quidem utile esse, ut seniores qui ecclesiis præsent, aliquem inter se ordinem constituent, ad conservationem corporis Ecclesiæ: modo studiose caveant, ne quo pacto ab iis deflectant declinentve, quæ Christus ipse, unicus Magister noster, semel constituit. Nos itaque omnia humana inventa, omnesque leges rejicimus, quæ ad Dei cultum sunt introductæ, ut iis conscientiæ ullo modo illaqueentur, aut obstringantur. Easque solas suscipimus, quæ idoneæ sunt, vel ad fovendam alendamque concordiam, vel ad nos in Dei obedientia retinendos. Ad id vero imprimis necessaria est excommunicatio, ex præcepto verbi Dei usurpata, et aliæ illi annexæ disciplinæ ecclesiasticæ appendices.

XXXIII. Credimus Deum, habita nostræ hebetudinis et infirmitatis ratione, sacramenta nobis instituisse, ut promissa sua in nobis obsignaret, et ut essent divinæ erga nos benevolentiæ, donorumque ejus, certissima nobis pignora, ad fidem nostram fovendam et sustentandam comparata. Addidit vero illa ad verbum Evangelii, ut tum ea ipsa quæ nobis verbo suo declarat, tum ea etiam quæ ille ipse in cordibus nostris interne operatur, efficacius sensibus nostris externis proponeret: ac denique ut salutem, quam nobis communicare dignatur, magis magisque in nobis confirmaret. Sunt enim sacramenta signa, ac symbola visibilia rerum internarum et invisibilium, per quæ ceu per media Deus ipse virtute Spiritus Sancti in nobis agit. Itaque signa illa minime vana sunt, aut vacua: nec ad nos decipiendos aut frustrandos instituta. Ipsorum enim veritas est ipse JESUS CHRISTUS, sine quo nullius essent prorsus momenti. Cæterum sufficit nobis is sacramentorum numerus, quem Christus ipse, verus et unicus doctor

noster instituit. Sunt vero illa duo duntaxat, nimirum sacramentum Baptismi et sacræ Cœnæ Domini nostri Jesu Christi.

XXXIV. Credimus et confitemur Jesum Christum (qui finis legis est) omni alii sanguinis effusioni ad propitiationem peccatorum adhibendæ finem, proprio suo sanguine effuso, jam imposuisse. Et abolita circumcissione, quæ fiebat per sanguinem, baptismum illius loco instituisse, quo in Dei Ecclesiam recipimur, et a cunctis aliis gentibus ac peregrinis omnibus religionibus segregamur, utpote illi soli consecrati, cujus symbolum et insignia gestamus. Est denique nobis testimonio Baptismus, illum ipsum Deum nostrum fore in æternum, qui et Pater nobis est propitius. Suos igitur omnes jussit Dominus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti pura aqua baptizari: ut significaret sanguinem Christi per Spiritum Sanctum idem præstare et efficere interne in anima, quod aqua externe operatur in corporibus. Sicuti enim aqua in nos effusa, et super corpus baptizati eminens, ac conspicua, ipsumque irrigans, sordes corporis abluuit: sic et sanguis Christi animam abluens a peccatis illam emundat: nosque filios iræ in filios Dei regenerat. Non quod aqua hæc materialis ista efficiat, sed aspersio ipsa pretiosissimi sanguinis Filii Dei, qui nobis est ceu mare illud Rubrum, per quod transeundum est, ut e tyrannide Pharaonis, id est Diaboli, egredi, et in spiritualem terram Chanaan introire possimus. Itaque, ministri quidem præbent nobis sacramentum, et rem visibilem, at Dominus ipse exhibet quod sacramento significatur, nimirum dona et gratias invisibiles, abluens, purificans, et mundans animas nostras a cunctis sordibus, et iniquitatibus suis: renovans item, et replens corda nostra omni consolatione: largiens denique nobis veram paternæ suæ bonitatis certitudinem, et novo homine nos induens: atque vetere exuens, cum omnibus factis ejus. His de causis credimus omnem hominem, qui vitam

æternam consequi cupiat, debere unico baptismo (id est semel tantum) baptizari, qui nunquam postea sit iterandus, quum ne nasci quidem bis possimus. Neque tamen hic baptismus eo duntaxat momento prodest, quo aqua nobis insidet, quoque ea tingimur, sed per totum vitæ nostræ tempus. Anabaptistarum itaque errorem hic detestamur, qui non modo unico, et semel suscepto baptismo contenti non sunt: sed et baptismum infantium e fidelibus natorum damnant. Nos vero eos eadem ratione baptizandos, et signo foederis obsignandos esse credimus, qua olim in Israël parvuli circumcidebantur, nimirum propter easdem promissiones infantibus nostris factas. Et revera Christus non minus sanguinem suum effudit ut fidelium infantes, quam ut adultos ablueret. Ideoque signum, seu sacramentum rei, quam Christus eorum causa est operatus, illos recipere convenit: quemadmodum in lege jubet Dominus sacramentum mortis et passionis Christi communicari pueris recens natis, offerendo pro ipsis agnum, qui sacramentum erat Christi venturi. Præterea quod circumcisio præstabat populo Judaico, idem pueris fidelium præstat baptismus. Et hæc causa est, cur Paulus baptismum vocet, circumcisionem Christi.

XXXV. Credimus etiam, et confitemur D. Jesum Christum Servatorem nostrum, sacrosanctum Cœnæ suæ sacramentum instituisse, ut in ea nutriat, ac sustentet eos, quos jam regeneravit, et in familiam suam, nempe Ecclesiam insevit. Qui vero regenerati sunt duplicem in se vitam habent: unam quidem carnalem, et temporariam, quam secum a prima sua nativitate attulerunt, et hæc communis est omnibus: alteram spiritualem, et cœlestem, quæ illis donatur in secunda illa nativitate, quæ fit per verbum Evangelii, in unione corporis Christi; et hæc solis electis Dei peculiaris est. Sicuti vero Deus panem terrenum, et materialem ad hujus vitæ carnalis, et terrenæ conservationem idoneum con-

stituit, qui ut et ipsa vita, omnibus est communis : ita ad conservationem illius vitæ spiritualis, et cœlestis, quæ fidelium propria est, Deus panem vivificum misit, qui e cœlo descendit, nempe Jesum Christum : is nutrit, et sustentat vitam fidelium spiritualem, si comedatur, id est, applicetur, et recipiatur spiritu per fidem. Ut autem panem hunc spiritualem, et cœlestem Christus nobis figuraret, seu repræsentaret, instituit panem, et vinum terrenum, et visibilem, in corporis et sanguinis sui sacramentum. Iis vero testificatur nos, quam vere accipimus, et tenemus manibus nostris hoc sacramentum, illudque ore comedimus (unde et postmodum vita hæc nostra sustentatur) tam vere etiam nos fide (quæ animæ nostræ est instar et manus, et oris) recipere verum corpus, et verum sanguinem Christi unici Servatoris nostri in animis nostris, ad vitam spiritualem in nobis fovendam. Certissimum vero est, Christum non sine causa tam sollicite hoc suum sacramentum nobis commendare, utpote qui perficiat in nobis revera, quæcunque ipse nobis his sacris signis repræsentat : quamvis modus ipse ingenii nostri captum superet, nec percipi a quoquam possit ; quod videlicet omnes Spiritus Sancti operationes occultæ sint, et incomprehensibiles. Cæterum nequaquam erraverimus dicentes, id quod comeditur esse ipsissimum Christi corpus naturale, et id quod bibitur, verum ipsius sanguinem. At instrumentum, seu medium quo hæc comedimus, et bibimus, non est os corporeum, sed spiritus ipse noster, idque per fidem. Christus itaque semper ad dexteram Patris in cœlis residet, nec ideo minus se nobis per fidem communicat. Porro hæc cœna mensa est spiritualis, in qua Christus seipsum nobis cum omnibus bonis suis participandum offert : efficitque ut in illa, tam illo ipso, quam passionis, mortisque ipsius merito fruamur. Animam enim nostram miseram, et afflictam, omnique consolatione destitutam carnis suæ esu ipsemet nutrit, corroborat, et

consolatur: sanguinis item sui potu eam sustentat, ac recreat. Præterea, quamvis sacramenta sint conjuncta rei ipsi significatæ, ambæ tamen res istæ non ab omnibus recipiuntur. Malus enim recipit quidem sacramentum in suam condemnationem, at rem, seu veritatem sacramenti non recipit. Verbi gratia, Judas et Simon Magus receperunt quidem ambo sacramentum, Christum vero ipsum, qui illo significabatur, minime. Solis enim fidelibus Christus communicatur. Postremo huic nos sacramento sacrosancto in cœtu populi Dei cum summa humilitate, et reverentia communicamus, memoriam mortis Christi Servatoris nostri cum gratiarum actione sancte celebrantes: et fidei, religionisque Christianæ confessionem publice ibi profitentes. Nemo itaque ad hanc mensam sese sistere debet, qui prius non se probaverit, ne de hoc pane edens, et de hoc poculo bibens, judicium ipse sibi, et damnationem manducet, ac bibat. Usu porro hujus sacramenti accenditur in nobis flagrantissimus amor, tum in Deum ipsum, tum in proximum. Itaque nos hic quidem merito omnes hominum ludificationes, et damnanda commenta (quæ illi sacramentis addiderunt, et admiscuerunt) tanquam veram profanationem rejicimus: affirmamusque omnes pios unico illo ordine, et ritu, quem Christus et apostoli nobis tradiderunt, contentos esse, atque de mysteriis eodem modo loqui debere, quo et illi locuti sunt.

XXXVI. Credimus Deum Opt. Maxim. ob generis humani corruptelam atque depravationem, reges, principes, et magistratus constituisse: velleque ut mundus hic legibus ac certa politia gubernetur, ad coercenda hominum vitia, et ut omnia inter homines recto ordine gerantur. Idcirco magistratus ipsos gladio armavit, ut malos quidem plectant pœnis, probos vero tueantur. Horum porro est non modo de civili politia conservanda esse sollicitos, verumetiam dare operam ut sacrum ministerium conservetur, omnis idololatria et adulterinus Dei

cultus e medio tollatur, regnum Antichristi diruatur, Christi vero regnum propagetur. Denique horum est efficere, ut sacrum Evangelii verbum undique prædicetur, ut singuli pure Deum colere et venerari ex præscripto verbi ipsius libere possint. Cæterum cuncti homines, cujuscunque sint, vel dignitatis, vel conditionis, ac status legitimis magistratibus subjici debent, illisque vectigalia ac tributa pendere, et eis in omnibus obsequi, ac obedire quæ verbo Dei non repugnant: preces etiam pro iis fundere, ut eos Deus in omnibus ipsorum actionibus dirigere dignetur: nos vero vitam tranquillam et quietam sub ipsis cum omni pietate et honestate ducere possimus. Quamobrem Anabaptistas et turbulentos omnes detestamur qui superiores dominationes et magistratus abjiciunt, jura ac judicia pervertunt, bona omnia communia faciunt, ac denique ordines omnes ac gradus, quos honestatis gratia Deus inter homines constituit, abolent aut confundunt.

XXXVII. Postremo credimus ex Dei verbo, Dominum nostrum Jesum Christum (ubi tempus a Deo præstitutum, at omnibus creaturis ignotum, advenerit, et numerus electorum fuerit completus) e cælo rursus venturum, idque corporaliter ac visibiliter: sicuti olim illuc ascendit, summa ornatum gloria et majestate, ut Judex vivorum et mortuorum appareat, vetere hoc mundo igne et flamma succenso, ut illum purificet. Tunc vero creaturæ omnes, et tam viri, quam mulieres et infantes quotquot inde ab initio usque ad finem mundi extiterint, coram summo hoc Judice comparebunt, eo nimirum voce archangelorum et tuba Dei evocati. Omnes enim antea mortui e terra tunc resurgent, spiritu et anima singulorum rursus conjuncta et unita proprio suo corpori in quo vixerat. Qui porro illo ultimo die superstites erunt nequaquam morientur more reliquorum, sed in momento et jactu oculi, immutabuntur a corruptione, videlicet in incorruptam naturam. Tunc aperientur libri (nimirum conscien-

tiæ) et mortui judicabuntur secundum ea quæ in hoc mundo egerint, sive bona sive mala. Quinetiam tunc reddituri sunt homines rationem de omni verbo otioso quod locuti fuerint, etsi id mundus nunc pro ludo et joco reputet. In summa omnis tunc hominum hypocrisis et abstrusa quæque cordis eorum palam coram omnibus detegentur, ut merito sola judicii istius memoria impiis et reprobis sit horrenda, et formidabilis; bonis vero et electis summe exoptanda et ingentis consolationis: tunc enim redemptio ipsorum plane perficietur, et suavissimos laborum et dolorum suorum, quos in hac vita pertulerint, fructus consequentur. Tunc, inquam, innocentia ipsorum aperte ab omnibus agnoscetur: ipsique vicissim horrendam vindictam conspecturi sunt, quam Dominus de iis sumet, qui eos variis tormentis, et molestiis in hoc mundo tyrannice afflixerunt. Impii porro proprio conscientiae suæ testimonio convicti, immortales quidem reddentur, sed ea conditione, ut in igne æterno (qui Diabolo paratus est) in sempiternum crucientur. Contra vero fideles et electi corona gloriæ et honoris donabuntur, Filiusque Dei eorum nomina coram Deo Patre et angelis confitebitur, et abstergetur omnis lachryma ab oculis eorum. Causa itaque ipsorum, quæ nunc hæreseos et impietatis a magistratibus, iudicibusque damnatur, causa Filii Dei esse tunc agnoscetur. Et Dominus eos gratis tanta gloria remunerabitur, quantam nullus hominum animo concipere unquam possit. Magnum ergo illum Domini diem summo desiderio expectamus, quo rebus omnibus nobis a Deo promissis, plenissime in Christo Jesu Domino nostro, læti potiemur, et in æternum perfruemur.